

*XLVI. Sed Poësin à Philosophiæ studio non esse diver-  
sam liquet; quòd Poëta multa dixerunt, quæ à Philosophis  
aut dicenda aut dicta sunt; puta quòd in omnibus Poëtarum ve-  
terum figmentis vel historica latet narratio, vel Physica, vel  
moralis subest doctrina, adeo ut illud Horatii elogium merito  
in Poëtis locum habeat: Aut prodesse volunt, aut delectare  
Poëtæ, aut simul & jucunda & idonea dicere vita.*

*tum milites XLVII. Tandem eminentioris conditionis civium agmen  
claudunt milites: qui propter summam armorum necessita-  
tem huc accensendi; quibus apud Romanos privilegia varia  
concessa, ad nostros etiamnum milites pertinentia: quod ho-  
rum est Rempublicam ab hostium insultibus defendere.*

*XLVIII. Hinc militare studium apud quasvis gentes sum-  
mo in honore positum, at ad maximas dignitates aditum pa-  
tescit, nobilitatis verè est primordium; cum ob fortitudinis  
in patria defendenda declarate laudem nobilitas conferri so-  
leat.*

*XLIX. Hinc apud Turcas ij, qui in bellis strenuos & for-  
tes sese exhibent, in maximo sunt pretio, puta, quos non ge-  
nus, sed virtus propriè in sublimem evexerit locum.*

*vel inferioris condi-  
tionis, five  
plebei, qua-  
les* *L. Eminentioris conditionis cives ita fuerunt: sequuntur  
plebei, qui tum manu, tum negotiationis industriam ab-  
mentis procurando Rempublicam juvant. Ac sanè plebis  
in Republica ratio habenda: cum ejus usus sit, nec Respubli-  
ca absq; illis consistere possit.*

*Mercatores, LI. Sic Romulus civitatem suam in patricios & plebem  
distinxit; Sic Germanorum civitas vel Respublica ex plebe &  
nobilitate constabat. Hic jam primum locum assignet Poli-  
ticus mercatoribus, quòd negotiatio per se utilis est & ha-  
nesta, quam natura compensanda rerum penuria substernit.  
Videndum hic, ne monopolia exerceantur, aut questus turpes  
fiant.*